



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1740. usque ad annum 1742

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1787**

**VD18 90119649**

§. 65. Principes atque Illustres hoc anno fatis functi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67882](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67882)

Sæc. XVIII. A. C. 1742. ris factum fuerat. cum illico omnia ejus  
 exemplaria supprimerentur, & eorum  
 venditione ac lectione severe inhibita  
 publico infamique rogo addicerentur.  
 Nec mitius actum cum Canonicis Ca-  
 thedralibus, qui præfato scripto sua no-  
 mina apposuerant; hi enim exilio mul-  
 ctati fuere, ac insuper duæ Dimacho-  
 rum legiones in Capituli terras immis-  
 sæ, ut renitentes Canonicos ad obse-  
 quium redigerent. Ut ergo Clerus sese  
 ab infestis hisce incubatoribus libera-  
 ret, mox petitæ exactioni satisfecit, sic-  
 que intra breve temporis intervallum  
 ex Ecclesiasticis bonis duodecim Hispa-  
 norum Thalerorum milliones ad Re-  
 gium ærarium confluxere.

## §. LXV.

*Principes atque Illustres hoc anno de-  
 nati.*

Obiere hoc quoque anno ex Principi-  
 bus aliisque Viris dignitate conspi-  
 cuis nonnulli, & quidem inter ceteros  
 morti in prædam cessit Carolus Philip-  
 pus Rheni Comes Palatinus Elector, qui  
 Neoburgi ad Danubium Patre Philippo  
 Wilhelmo Electore anno 1661 die quar-  
 ta Novembris primam lucem aspexit.  
 Erat pluribus annis in Tyroli Guberna-  
 tor, ubi hodieum ejus prudentia, be-  
 nigni-

nignitas & moderatio multis encomiis, Sæc. XVIII.  
A. C. 1742.  
& grata memoria celebratur. Postea S. R. I. Elector atque Archithesaurarius non sibi sed subditis suis natus videbatur, vere pauperum Pater, subditorum ac proborum omnium fautor, & quod potissimum est, strenuus veræ Religionis vindex: quanto etiam ardore contra Calvinianum Catechismum, in quo Missa *abominanda idololatria* calumniose dicebatur, insurrexerit, jam supra retulimus. Verbo, Princeps erat jam primævo naturæ beneficio bonus, summa religione, probitate, fide, clementia, liberalitate & facilitate in omnes præcipue infirmos incredibili inclutus, ac æterna memoria dignus. Decessit die trigesima prima Decembris Manheimii anno ætatis octogesimo secundo. Successorem habuit Carolum Philippum Theodorum Solisbacensem Ducem, qui Juliacensis ac Montanæ ditionis possessionem composita prius controversia, quæ inde, ut diximus, timebatur oritura, quiete adiit. Hujus Electoris obitum præcesserat die decima octava Februarii mors Mariæ Annæ Ludovicæ, quæ postremi Etruriæ Ducis Joannis Gastonis Soror, & defuncti Joannis Guilielmi Electoris Palatini altera uxor anno ætatis septuagesimo sexto mundo valedixit. Reliquerat ingentem

tem

sæc. XVIII. tem pecuniarum vim, cujus hæredem  
 A. C. 1742. scripsit Franciscum Stephanum Lotha-  
 ringiæ Ducem. Verum reclamabat  
 Neapolis Rex, qui eo fine Vermenci-  
 nium Abbatem Florentias ablegavit,  
 ut contra hanc hæreditatis dispositio-  
 nem protestaretur. Ast hic pro legiti-  
 mo Ministro non agnoscebatur, hinc  
 sine responso dimissus est, & Magnus  
 Dux, misso in Hispaniam testamenti  
 transumpto, per Comitem de Richecourt  
 cum beneficio inventarii hæreditatem  
 adiit. Sequentis Mensis die decima  
 eandem æternitatis viam ingressa est  
 Wilhelmina Amalia Josephi I. Impera-  
 toris Vidua, quæ ex Brunsvico-Han-  
 noverana Domo orta sexto ætatis suæ  
 anno Serenissimum Parentem suum Au-  
 gustæ defunctum & duodecimo sui con-  
 jugii anno Maritum suum amiserat; un-  
 de Schönbronnæ prope Viennam ali-  
 quamdiu solitariam agens vitam specta-  
 tæ virtutis exempla præbuit, insuper  
 Viennæ suis sumptibus cænobium pro  
 Sanctimonialibus, quas *Salesianas* vo-  
 cant, construxit, & post mortem Eleo-  
 noræ Imperatricis Viduæ suprema Eleo-  
 tronarum stellatæ Crucis Ordinis Magi-  
 stra electa fuit: demum vero phthisi  
 consumpta anno ætatis sexagesimo no-  
 no & Viduitatis trigesimo primo sanctif-  
 sime, uti vixerat, mortua est: testa-  
 mento

mento caverat, ut in præfato cænobio  
 sine speciali pompa sepeliretur.

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1742.

Præterea Mense Majo Henrieta Ma-  
 ria Vidua Parmæ Ducissa vivis erepta  
 est, & Mense Decembri Anna Sophia  
 Daniæ Regis Vidua Clausolmiæ deces-  
 sit; die autem septima Novembris Joan-  
 nes Augustus Anhaltino-Serveftanus  
 Princeps Serveftæ obiit. Pariter na-  
 turæ debitum anno ætatis quinquage-  
 simo septimo die decima septima Martii  
 solvit Eleonora seu Ludovica Gonzaga  
 Vincentii Ducis Guastallæ Filia, ac  
 Francisci Mariæ Ducis de Medicis Uxor  
 Vidua, quæ post Mariti obitum Pata-  
 vium secessit, ubi vitam inter assiduas  
 pietatis exercitationes transegit. Pari-  
 fato mundi theatrum die decima sexta  
 Augusti reliquit Ludovica Elisabetha  
 Philippi Aurelianensis Ducis olim Fran-  
 cici regni Administratoris Filia, quæ  
 Ludovico Hispaniæ Infanti Asturiæ  
 Principi anno Christi millesimo septin-  
 gentesimo vigesimo quarto Mense Ja-  
 nuario nupta, ejusdem adhuc anni  
 Mense Augusto Maritum suum præma-  
 turo nimis fato ereptum nonnisi quindecim  
 annos nata deploravit, ac postea  
 in Franciam reversa per plures annos  
 magna cum religione, ardore in Deum  
 & virtutum studio vitam exegit, donec  
*Hist. Eccles. Tom. LXXVII. U u cælo*

Sæc XVIII  
 A. C. 1742. cælo matura præmatura nimis morte  
 anno nimirum ætatis suæ trigesimo se-  
 cundo ad cælestes nuptias properaret.

Tristis æque ac inopinus erat casus, quo Franciscus Xaverius, natu minor Joannis V. Lusitanæ Regis frater vivis ereptus est; cum enim Regem in balneis visum iret, ac ex curru descenderet, crure luxato in febrim incidit, qua incassum adhibitis omnibus artis medicæ remediis die vigesima prima Junii anno ætatis quinquagesimo secundo nondum expleto expiravit. Egerat is cælibem semper vitam, & magni, ut vocant, Lusitani Prioris dignitate unacum annexa Cratenfi commenda conspicuus erat. Insuper prioris anni die quinta decembris variolis animam & sceptrum deposuit Ulrica Eleonora Sueciæ Regina, & Caroli XI. Regis Filia annos nata sexaginta tres.

Præter hos mortui adhuc sunt Christianus Ludovicus Brunsvico-Guelterbytanus Princeps quadrimus; Magdalena Wilhelmina Vidua Marchionissa Bado-Durlacensis die 30. Octobris anno ætatis sexagesimo quinto mortua; Caroli Gustavi Badensis Vidua Sophia expleto anno ætatis octogesimo tertio, Ludovica Augusta, Ludovici Hasso-Darmstadiani Principis Filia nata annos octo-

octodecim, & Josephi Hasso-Rheinfel- Sæc. XVIII.  
 densis Principis Filius unicus septennis. A. C. 1742.

His adjungimus Reverendissimum  
 ac Illustrissimum D.D. Anselmum Godin  
 de Tampezo S. R. I. Principem & Ord.  
 S. Benedicti Abbatem ad S. Emmera-  
 mum, qui die undecima Maji anno  
 Christi millesimo sexcentesimo septua-  
 gesimo septimo natus posito virtutum  
 tyrocinio inter suos maximo cum pro-  
 fectu sacratoribus literis operam nava-  
 bat: postea in Parochum ad S. Ruper-  
 tum nominatus indefesso studio omnes  
 Pastoralis officii sui partes explevit;  
 brevi etiam ei latissimus exerendi sui  
 Zeli animarum campus aperiebatur,  
 dum anno hujus sæculi tertio  
 Ratisbonæ vis maxima pestilentiae sæ-  
 viebat; tum enim generose contempto  
 quotidianæ mortis periculo omnibus  
 hac lue infectis salutis media propina-  
 bat. Tot meritis clarus non modo una-  
 nimi suorum, sed vel maxime virtutum  
 suffragio in Abbatem die undecima A-  
 prilis anno Domini millesimo septingen-  
 tesimo vigesimo quinto electus, anno  
 præfati sæculi trigesimo primo per Cæ-  
 sareum diploma anno sequenti die vige-  
 sima quarta Martii in S. R. I. comitiis  
 promulgatum in celeberrimam hanc  
 Abbatiam S. R. I. Principatus præero-

U u ' 2

ga-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1742.

gativam, ut supra meminimus, præter alia decora reduxit: demum pro tot exantlatis laboribus mercedem in cælis pia morte die vigesima prima Septembris recepit anno ætatis suæ sexagesimo quinto; celebre reddidit nomen suum edita a se *Ratisbona politica* &c. Successorem habuit Joannem Baptistam Kraus Virum rara pietate & omnigena eruditione longe clarissimum. Obiit præterea Franciscus Corerius Venetorum Patriarcha & Dalmatiæ Primas, in cujus locum electus est Aloysius Foscarini.

§. LXVI.

*Iteratæ Wormatiensium Lutheranorum querelæ contra Catholicos.*

*Vid. supra  
tom. 73. p.  
738.*

Hoc item anno Wormatienses Lutherani Catholicos, qui tamen in sacris soli suo Episcopo subsunt, in avitæ Religionis suæ exercitio turbabant. Occasionem inde captarunt: Decumbebat morbo admodum periculoso ancilla Catholica, quæ apud R. D. Schlipgen Canonicum famulabatur: ad hanc ergo die nona Maji Parochus ad S. Pauli sacrum Viaticum sub Baldachino ac sonantibus cymbalis, & comitante populo publice deferebat. Inde lacrimæ,  
mo-